


SCHNITZLERUS
CIBINIENSIS
DE POTESTATE
DOMESTICA

Wittebergae 1658



Are Entitled 3 Kor.
Muller $\frac{4}{3}$ qor

R. M. Jr.
III. 482.

Scabs 3 Kor 20 $\frac{1}{6}$ - 2 pts

2046
Collegii Publici Tertii

atq. Ultimi

Disputationem IV.

De

Potestate Dome- stica,

PRÆSIDE

MICHAELE VVENDELERO, D.

& P.P.

publicè proponis

JACOBUS SCHNITZLERUS, Cibiniensis Transylvanus,

Addiem IV. Septemb. horis matutinis

in auditorio minori.



WITTEBERGÆ,

Literis Johannis Haken, M. DC LIX.

Leu. 17. 2.

Continuatio.

Theses.


1. **O**economiam sequuntur partes, quæ eandem constituunt. Itaque hic dicendum nobis erit de Potestate Domestica, Subditis, Oeconomix Mutatione & Cōservatione. Venim in Politicā, secundum methodi analytica naturam, egimus primo loco de fine, qui fuit respublica, secundo autem de Majestate, Subditis, reipub. mutatione & cōservatione: ita etiam in Oeconomicā, ob summam convenientiam, de his omnibus ordine dicamus necesse est.

2. Ut autem in Politicā primo loco egimus de *δυναμει καὶ ἀρχῇ πολιτικῇ*, hoc est, potestate & civitatis principatu: ita hic loci agendū erit de familiæ potestate & principatu. Aristoteles 3. Politicorum c. 6. & 7. nominat *πολιτικὴν*, hoc est, ut Giphanius lib. 3. Polit. c. 7. vertit, *civitatis principatum*, vel, ut Camerarius vult, *summam potestatem*. Quam vocem propter convenientiam, quæ est inter familiam & civitatem, accommodamus ad familiam.

3. Hinc Summā domūs potestatem vocamus ejusdē majestatem. Est ergo *majestas summa potestas in familiā ubiq.* Potestas notat licentiā imperandi. Summa appellatur illa, quæ in familiā superiorem non agnoscit. Nam ut absolutē summum est, quo non datur superius: ita summæ in domo potestatis natura est, ut superiorem agnoscere, sine implicatione contradictionis, non possit. Dicitur summa potestas in familiā. Quibus differt à potestate, quæ in civitate est penes regem, aliosq; imperantes. Est tandem hæc summa potestas ubiq; id est, non tantum in quibusdam, sed in omnibus, quæ ad familiam commodè regendam faciunt.

5. Quæ domestica potestas cum sit totum potestativum, hoc est, ex variis partibus aggregatum; ideo & hic certæ partes, hoc est, summæ in rebus domesticis potestates occurrent. Ad potestatem patriam refert Aristoteles 8. Ethic. cap. 12. potestatem abdicandi liberos. Verba Philosophi in loco citato sunt hæc: *Atque ideo non licere filio patrem abdicare, patri autem filium licere videretur. Reddere enim oportet eum,*

qui



qui debet: at quidquid fecerit filius, nihil dignum collaris beneficiis fecit: quare semper debet: quibus autem debetur, ut dimittendi est facultas: igitur patri quoque erit.

6. Nos huic potestati addimus r. potestatem *sancienti leges domesticas*. Est autem lex Oeconomica iustum, à potestate domesticâ promulgatum. Dividi commodè potest in *scriptam*, quæ scripto præcipit, quid in domo sit agendum, & *nonscriptam*, quæ vivâ voce præscribit, quid sit agendum. 2. In *universalem*, quæ in universâ Oeconomiam valet, & *particularem*, quæ in aliquâ saltem Oeconomiam parte valet. 3. In *justam*, & *injustam*. Illa iustè, hæc injustè ponitur. Ut enim de naturâ Oeconomiam non est, ut sit vel recta, vel vitiosa: ita nec de naturâ legis est, ut sit vel recta, vel vitiosa.

7. II. Potestatem *inveniendi fœdus*. Est autem fœdus domesticum pactum duarum pluriumve Oeconomiarum solenniter se ad amicitiam, commercia & auxilia mutuò præstanda honestatis atq; utilitatis domesticæ gratiâ obligantium. Sic fœdus inquit Jacobus cum Labano idololatriâ, *Gen. 31. v. 44.* Abrahamus cum Mamre, Escol & Anere *Gen. 14. v. 13.* cum Abimelecho *Gen. 21. v. 32.*

8. III. Potestatem *constituendi ministros*, seu *vicarios domesticos*, qui in Politicâ officialibus respondere possunt. Talis vicarius erat *Eleazarus*, servus senior domus Abrahami, qui præerat omnibus. quæ habebat, *Gen. 24. v. 2.* quem Abrahamus sibi iuramento obstringit, ut non accipiat uxorem filio de filiabus Chananorum.

9. IV. Curam *circa cultum divinum*. Nam, dicente Philosopho 7. *Polit. c. 8.* cultus divinus est ex eorum numero, sine quibus nec civitas, nec ulla familia esse potest. Hinc in sacris cœtus unius familiæ nominatur Ecclesia, *Rom. 16. v. 15. 1. ad Corinth. 16. v. 19. Colos. 4. v. 15.* Huc referri tum possunt, tum debent alia quoque potestates, cum primis potestas acquirendi administrandiq; rem familiarem, de quâ sequens caput agit.

10. *Maritus imperium habet in uxorem*. Imperium in uxorem viro plenè offerunt *jura divina, humana & rationes*. Ipse, inquit Deus *Gen. 3. v. 16. dominabitur tibi. Petrus c. 3. prioris epistolæ*

solz v. 1. mulieres jubet esse subditas viris, quod hi sint illarum capita, ut Eph. 5. v. 23 scribitur.

11. Idem urget jus naturale. Nam hoc vult, ut dignior imperet. Hanc ob causam natura fecit mulieres, ad omnia magis imbecilles, quam viros, ut ab eadem suæ quotidie admonerentur subjectionis. Non dicam, quod eadem mulieribus dederit comam in memoriam subjectionis.

12. Idem evincunt sequentes rationes : 1. Quia maxima infamia est viro, si mulieris imperio subiaceat. Nam evertitur jus nature, quod non femina, sed viro, potestatem dedit. 2. Quia omne uxoris decus à viro dependet. 3. Quia uxor, quæ viri honori suâ imperiosâ arrogantiam detrahit, eo ipso suæ quoque detrahit famæ, cum hæc tantum honoris habeat, quantum vir habet.

13. Viro conceditur potestas in ordinem cogendi mulierem. Nul- lum enim imperium est sine potestate cogendi. Hæc autem potestas non est amplianda, ut vir sibi vendicet in mulierem, jus vitæ & necis; sed in paternâ castigatione consistit. Interea non est sacrilegium, si quis uxorem, graviter peccantem, verberet. Prius autem, quam ad verbera progrediatur maritus, omnia sunt tentanda.

14. Viro in adulteram uxorem animadvertere non licet. Contra Bodinum lib. 1. de repub. c. 3. qui cupit privatam uxorum, castigationem, reductam, ne publica accusatio utramque; per- so nam diffamet. Nam publicè secundum leges accusandæ sunt, ut hoc modo à facili delatione, metu infamiae, deterreantur mariti.

15. Potestas parentum in liberos debet consistere non in atrocita- te, sed pietate. Nam 1. Deut. 21. jubentur contumaces filii ad ju- dicem duci, ut ab eodem ad arbitrium patris condemnentur. 2. Quia vindicta ut nemini concedi tutum est, ita nec patri. 3. Quia liberi sunt quasi partes parentum, ut habet Arist. 5. Ethic. c. 10. Contra Bodinum lib. 1. de repub. c. 4.



